



*Act. 15.*

23

DE ALIMENTIS  
VIDVAE INDOTATAE  
EX FEVDO DEBITIS  
ILL. ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE  
P R A E S I D E  
D. IOHANNE THEOPHILO SEGERO  
EIVSDEM ORDINIS ET SVPREMÆ IN PROVINCIA  
CVRIAIE ASSESSORE ATQVE ANTECESSORE  
PRID. CAL. OCTOBR. AN. CICIO CCLXXIIII  
H. L. Q. C  
D I S P V T A B I T  
CAROLVS HENRICVS SCHVVABE  
NOSSENA MISNICVS

---

LIPSIAE  
EX OFFICINA LANGENHEMIA

123. A G. M. Holt.



DE ALEMANNIS  
AIDAEI INDOTATE  
EX LIBRIS D. BRITIS  
HISTORIA SOCIMIS VACONIATIS  
PRAEVIDA  
D. LICHENIE THOMPHINO SECCERO  
EVANDEO QDPIUS ET ALTHAM IN TUDINIS  
CAYAB VASSAZZON ASTAS MULGAG  
PIDE CAV OCTOBR AX CIPPO GC ZAII  
H. E. G.  
CAROLAS HENRICAS SCHAAVAB  
MOSSENA MEGNEAS

LIPSIAE

ADDITIONALIA. TANDEM

EX DILECTA

J. C. M. S.

V I R O  
ILLVSTRI AMPLISSIMO CONSVLTISSIMO  
**C A R O L O   H E N R I C O**  
**S C H V V A B E**  
SERENISSIMI ELECTORIS SAXONIS  
A CONSLIIIS REI METALLICAE  
DIOECESI NOSENSEI  
PRAEFECTO

P A R E N T I   O P T I M O  
D.   D.   D.  
CAROLVS HENRICVS F.



V A R O  
ILLUSTRI AMPHISMO COMARATISSIMO  
CAROLO HENRICO  
SCHAUABE  
SALVATORI DIRECTORIS SAXONIAE  
A CONSILIIS ET MATERIALE  
DIECISI NOGENDIS  
TRITIQUITO

P A I A D I T I T P O I T O M I O

CAROLVS HENRICVS L



Quam dulce et expeditum negotium sit, cum patre  
agere, **PATER OPTIME**, hoc ii, qui pectoris sensu  
disertos fieri statuere, qui fuere omnibus temporibus bo-  
ni omnes, experti in primis esse videntur. Quum enim  
propter necessitates humanas, quibus ipsos etiam amicos  
saepē disiungi videmus, semper ferme aliquam animi no-  
stri consiliorum que nostrorum partem celare velare co-  
gatur: quaenam tandem caussa sit simulandi dissimulan-  
diue, si cum eo agas, qui nihil, quod alienum secundum  
que sit a commodis **TVIS**, sequi possit. Quam quidem  
vel commoditatem vel voluptatem, si quis unquam alius,  
ego nunc sentio. Dedo enim libellum huncce meum non  
homini alieno, qui suam ea re gratiam aut potentiam spe-  
ctari existimare possit, sed viro ei, cui, solo deo exce-  
pto, omnia, quibus felicitas mea constituitur, debeam,  
qui-

qui que adeo hoc ipsum a me nullo alio consilio , nisi ut  
pietatis grati que animi sensum exprimerem, factum esse  
iudicaturus sit. Quaeſo igitur, PATER OPTIME, ac-  
cipias eum ut interpretem modeſtum meae ſummae in TE  
pietatis. Volui enim, ut extaret aliq[uid], quod meis  
verbis poſſet quotidie auribus TVIS ſuggerere, filium  
TVVM in TE colendo obſeruandoque non cedere ullius  
alius filio. Quod ita eſſe, non verbis nunc et oratione  
demonſtrabo, ſed studio, obſeruantia et pietate per  
omnem vitam probabo. Iubeat TE Deus longiſſimum  
humanae vitae ſpatium percurrere ſaluum et in columem,  
iubeat TE auxilio et emolumen to et voluptati eſſe TVIS  
omnibus. Fac, PATER OPTIME, ut ego cura et amo-  
re TVO gaudere quam diutiſſime poſſim, fac, ut valeas.

**V**ideo fere omnes, qui vel de feudorum iure in  
vniuersum, vel de oneribus et debitibus feudalibus  
sigillatim exposuerunt, dotis causam diligenter agere,  
et dotalitia diuitium feminarum studiosissime pertractare,  
at quae sine dote matrimonium inierunt, viduas ut plu-  
rimum pauperes atque egenas parum curare, quin in  
toto feudalium rerum tractatu mentionem earum saepe  
omittere. Cuius quidem neglectus causam non nescio.  
Nam in plerisque nunc regionibus dotalitium ad illatae  
dotis rationem exigitur, nec feminis sine dote nuptis  
deberi putatur praeterquam ab heredibus maritorum,  
quibus hi pro iure suo exsolutionem eius vel dimissio-  
nem imperauerint. Quod ut vulgo verum habetur et  
cum vsu fori, tum argumentis non inidoneis a feudalium  
bonorum natura petitis approbatur, quoniam ad  
vtendum modo et fruendum clientibus data sunt bene-  
ficia, neque in alios, nisi in liberos, habita in his quo-  
que sexus ratione, proprio et ordinario iure transmitti,

A 2

adeo-



adeoque nec extranei successores, nec dominus, vltra  
quam a vasallo defuncto honorati sint, onere alendae  
viduae ab ipso grauari possunt; operac tamen pretium  
est, non nullas ab hac regula exceptiones animaduerte-  
re, quibus nos tanquam retibus nuper admodum valde  
impeditos sensimus, cum ad quaesita per epistolam viri  
nobilis responsum exarabamus. Fecimus libello aca-  
demico eas comple&tendi periculum, neque datalitii no-  
men, ne scholasticum puluerem excitaremus, sed ge-  
nerale vocabulum alimentorum inscrispimus, quod nec  
istos de vulgo sapientes, qui ad doarii vocem nunquam  
non memoriam dotis ab vxore allatae eiusdemque com-  
pensationem cogitando adiungunt, a lege&ndis paginis  
nostris deterret, nec prudentiorum animos ad vidua-  
litii in feudo constituti veritatem pacta coniugum do-  
mini atque agnatorum consensu firmata vinice requi-  
rentium, vbi et citra eam conuentionem egenti viduae,  
quamvis indotatae, nos velle alimenta decerni ex clien-  
telaribus mariti praediis legerint, alienaret.

I. Primum vero illorum maxime cau&a, qui non ali-  
ter, nisi ex dote mulierum et reciproca virorum do-  
natione propter nuptias conflari dotalitium arbitran-  
tur, opus est antiquam rei vxoriae apud Germanos  
conditionem commemorare, et veras dotalitii aut doa-  
rii origines, quod nomen medio aevo formatum ad  
hoc vsque tempus usurpatum, breuiter indicare. Li-  
cet enim in ea re breuem esse, posteaquam praeter

B O E H.

BOEHMERVM qui de dotalitio doctam consultationem  
 Volum. I. tom. II. p. 482. palam edidit, summi viri,  
 IOH. PETRVS LVDOVICVS expositis differentiis  
*iuris Romani et Germanici in dote et donatione propter nuptias atque in alio differentiarum opusculo de dote mariti, et, quem ipsi constat in eo ingeniorum certamine palmam praeripuisse, GVNDLINGIVS eruditissima disputatione de emtione uxorum, dote et morgengabae ex iure Germanico, putidissimos anteriorum iureconsultorum errores profligauerunt, HEINECCIVS etiam in Elementis iuris Germanici lib. I. tit. X. naturam atque indolem dotis Germanicae tam solerter inuestigauit, et quicquid ad eam cognoscendam facere videretur, tam studiose collegit, ut qui post eum iurisprudentiae nostraræ in artem redigendae operam nauauerunt, aliique scriptores eximii, e quibus KÖPPIVM (von Verwidemung der Lehngüter ohne Lehnherlichen und Agnaten Consens in den Proben des Teutschenden Lehnrechts n. v.) ESTOREM ET HENR. NETTEBLADIVM laudare satis sit, relictum vix habuerint specilegium. Ne dicam, etiam ante hos omnes CANGIVM in Glossario et SCHILTERVM Praxeos Iuris Romani in foro Germaniae Exercit. XXXVI. atque in luculento commentario Iuris fidelis Alemann. cap. LXIII. Romanæ et Germanicæ dotis discrimina perspexisse, et veras dotalitii hodierni origines e genuinis antiquitatis Germanicae monumentis cognoscendas dedisse. Igitur ut eas repeta-*

6

mus, quantum instituti ratio postulat, dotem apud ma-  
iores nostros non vxor marito, sed maritus vxori attu-  
lit. Addit, qui iisdem verbis Romani et Germanici  
moris comparationem instituit, TACITVS: *Intersunt  
parentes et propinquai ac munera probant: munera non ad  
delicias muliebres quaesita, nec quibus nona nupta com-  
atur; sed boves et fraenatum equum, et scutum cum fra-  
mea gladio que. In haec munera vxor accipitur, atque  
ipsa armorum aliquid viro afferit. Hoc maximum vincu-  
lum, haec arcana sacra, hos coniugales Deos arbitrantur.*  
de mor. Germ. cap. XVIII. Cum qua obseruatione Cor-  
nelii si quis LEGEM ALEMANNORVM conferat,  
praecipientum cap. LV: *si quis liber mortuus fuerit, et  
reliquit vxorem sine filiis et filiabus, et de illa hereditate  
exire voluerit et nubere alii sibi coaequali, sequatur eam  
dos legitima, et quicquid parentes eius legitime placitaue-  
rint, et quicquid de sede paterna secum attulit, omnia in  
potestate habent auferendi, quodcunque non manducauit aut  
non vendidit: nae is facile inducetur in opinionem* Gundlingii, Tacitum de dote legitima, qua soliti sunt  
viri mulieres ab ipsorum parentibus quasi coemere, ca-  
pientis. Firmant hanc sententiam Fredegarii Scholastici  
et Salicæ ac Visigothorum legis excitata ab eodem  
GVNDLINGIO cap. I. §. XX. XXI. et XXII. testimo-  
nia, quibus ille nuptialia munera Metae nomine ve-  
nientia, tanquam ipsos numeros coemtionales, in solenni  
placito vel iudicio, certe Francorum ac Visigothorum  
mori-

moribus, datos atque acceptos esse ostendit. Nec  
 arcana sacra coniugalesque Deos credulitate maiorum  
 ab hoc ritu absuisse putet, qui successu temporis apud  
 Anglos et Gallos dotem ad ostium ecclesiae offerri, idque  
 ipsum a c A N G I O in laudato *Glossario*, doarium eo  
 verbo intelligi pernegantis, haud dubia monumento-  
 rum fide approbari meminerint. Nam, ut hoc obi-  
 ter dicam, Germanicae etiam originis populi, Franci  
 in primis, introducta Christiana disciplina deuictorum  
 in Gallia Romanorum exemplum secuti, dotalia instru-  
 menta in ecclesiis confici et in sacris ecclesiarum tabula-  
 riis deponi custodirique voluerunt. Id ipsum sollicite  
 animaduertit BRVSSELIVS ad capitula Philippi Augu-  
 sti et Baronum Franciae de interceptionibus Clericorum  
 aduersus iurisdictionem domini regis, inter alias litteras  
 publicas eruditii operis de usu feudorum in Gallia Tom.  
 II. adiecta p. XXVII. Eundem fontem cognitionis fa-  
 cerdotalis tum de matrimonio, tum vero etiam de do-  
 talitio, de quo laudatum capitulum regis Philippi ec-  
 clesiae nominatim potestatem facit audiendi viduarum  
 querelas, excitato loco aperuit BRVSSELIVS. Nec  
 aliunde ducenda est, quod S. V. ERNESTVS me do-  
 cuit, in libello nostro de auctoritate nouellarum Leonis  
 Philosophi nimis longe quaesita origo *ιερολογιας*, vt  
 pote per eandem opportunatatem nouis coniugibus  
 impetrari impetririque solitae factaeque tandem cano-  
 num auctoritate sic necessariae, vt data etiam dote ad  
 ostium

decorative ornament

ostium eccliae, quasi sponsalitium magis, quam nuptiale munus acceptum esset, confessis que dotalibus instrumentis, quibus vxor ex Romana lege agnoscatur, ante *ιερολογιας* acceptionem pontificio iure non nuptiae, sed sponsalia tantum de praesenti facta esse intelligerentur.

II. Quicquid vero muneris Tacitum respexisse existimes; (fuerunt enim, quibus de matutinis donis felicissimo, id est, altero nuptiarum die, ceu Marculphi formula habet, nouae nuptiae a marito latis sensisse videbentur, cum prima lux post noctem nuptialem *dies votorum* fuerit, qua in *BALVZII appendice Actorum veterum ad Capitularia Iohannes Dominici filius* profiteretur se ante parentes et amicos ostensurum *scriptum testibus roboratum*, et dicturum: *Ecce quod coniugi meae in Morgicap dedi, et sic ab hodierno die firmum ac stabile tibi Miczae vel tuis heredibus permaneat, quam que adeo festam diem, ut maximi vinculi castis amplexibus colligati indicium, matutinum donum, sic arcana sacra omnesque coniugales Deos praeſentes habere maiores nostri non inepte arbitrari potuerint;*) id liquet, Tacitum apud Germanos obſeruasse nec fundos, nec pecunias, vnde onera matrimonii ferri ac sustineri potuissent, maritis ab vxoribus esse allata. Certe cauſam et naturam dotis Romanorum que sensum in ea quaerenda et constituenda non ignorauit Cornelius. Illi non modicum munus, quod pectoris muliebris affe-

ctum

Etum viro exprimeret, sed dotes lautas atque opimas  
 vxori pro mariti dignitate alendae suffectauras spectabant.  
 Coemtione mulier veniebat in manum, non quasi ipsa  
 pretio nuptiali coemta fuisset, sed quod aere redimenda  
 esset pars domus mariti, post sacri atque humani iuris  
 coniunctionem ad ipsam, tanquam filiam familias per-  
 tentura. Euersa ratione legis Voconiae et intereunti-  
 bus tandem sacris priuatis non omnia quidem amplius  
 sua bona, ut antea omnem de patria domo atque he-  
 reditate acceptam quasi legitimam partem, sed liberta-  
 tis suae cupidiores studiosoresque pecuniam tamen a  
 reliquis facultatibus suis siue tum possessis siue adhuc  
 speratis seiuicetam, quae ad onera matrimonii sustinen-  
 da satis videretur, et antiquum dotis nomen retineret,  
 pleno, quamquam reuocabili, iure ad maritum ferebant,  
 caeteras suas opes sibi suisque rationibus seruabant.  
 Adeo infamis visa, id est, opprobrio mariti et con-  
 temtui parentum agnatorumque eius exposita, quae do-  
 tem non attulisset, cuiusmodi pauperculis ante facro-  
 rum priuatorum interitum, ut plurimum euenisse arbi-  
 tror, ut emta tribus numis pars maritalis domus, viro  
 confarreationem differente in crastinum, vsu demum  
 annali capienda esset et vindicanda, deinde, cum per  
 leges Iuliam et Papiam concubinatus nomen accepisset,  
 vxorum, an concubinarum loco fuissent, saepe etiam  
 postmortem virorum dubitaretur, ipsisque peringrata  
 demonstrandae maritalis affectionis necessitas imponere.

B

tur.

tur. Nihil eiuscmodi dotis ab vxoribus suis aut postulabant aut expectabant maiores nostri. Ipsae armorum aliquid viris, aetate Taciti, afferebant, pecudum, quod aliunde constat, e paternis bonis non nihil, forte etiam res vtiliales, quibus esset pro istorum temporum parsimonia opus futurum. Sed arma quidem et equis grata viris militaribus munera, nec caeterae pecudes contemtibile donum, vtilium autem apparatus forte ad domum instruendam pernecessarius. Verum quod **GUNDIGIVS** iam animaduertit, l. I. cap. II. §. VI. *armis frameisque onera matrimonii vix suffentantur*, et quam exilia fuerint reliqua mulierum munera, vel ex silentio Taciti ne mentionem quidem illorum iniiciens haud obscure colligitur.

III. Longe alia Gallorum instituta commemorat **LIVS CAESAR B. G.** lib. VI. cap. XVIII. *Viri, inquit, quantas pecunias ab uxoribus dotis nomine acceperunt, tantas ex suis bonis, aestimatione facta, cum dotibus communicant.* Huius omnis pecuniae coniunctim ratio habetur fructusque seruantur. Vter eorum vita superarit, ad eum pars utriusque cum fructibus superiorum temporum peruenit. Quod vnde Caesar forte non in omnibus Galliae partibus fieri viderit, nolim tamen cum **HEINECCIO** *Elem. Iur. Germ.* lib. I. tit. XI. §. 233. a Romanorum moribus ductum existimare. Videant, qui huic sententiae subscribunt, quomodo donationem ante nuptias iam eo tempore apud Romanos inualuisse ostendant.

ostendant. Meliori iure GUNDLINGIVS I. C. VLP  
PIANI verba huc retulit scribentis cap. IX. §. 3. P.  
*de iure dotum*, quae Graeci parapherna dicunt, eadē  
Gallis peculium appellari. Capio enim hoc peculi-  
um de iis pecuniis, quae in communi viri atque vxo-  
ris rationario ponerentur, et quas aut vterque, si et  
tum receptitia vxorum bona fuerunt, aut maritus certe  
a propriis rationibus separatas haberent, quarum etiam  
fructus, soluto olim matrimonio, cum ipsa vtriusque  
parte ad superstitem péruenturos seruarent. Hic singu-  
laris et proprius Gallorum, nescio, an omnium mos  
fuit, in quo ἀνθερυς seu ὑποσόλου aliquam speciem,  
maxime vero communionem partis bonorum inter con-  
iuges cernas, caeterum fateri cogaris, nihil tale Teu-  
tonicis populis, qui inter Gallos regna condidere, in  
antiquis ipsorum legibus constitutum rep̄eriri. Vnde fit  
magna suspicio, vel ante Germanicarum nationum in  
Gallos imperia ius Romanum eos mores perduxisse in  
suam potestatem, et iureconsultos Romanos dotis et  
donationis ante nuptias usum, quemadmodum vtriusque  
rei forma ab ipsis partim inuenta, partim constitutio-  
bus imperatorum esset composita, Gallis prouincialibus  
persuasiss tanto facilius, quanto hi luculentius prisci sui,  
fortean Gallici, moris imitationem aliquam in dona-  
tione ante nuptias cognoscerent atque perspicerent.  
Nam hanc ante nuptias donationem, quam tandem pro-  
pter nuptias appellauit Iustinianus, in securitatem dotis



plane non fieri, sed longe aliam eius caussam atque ingenium esse, docuit iam HEINECCIO praeside, VICELEBIVS disp. pererudita, cui inscripsit: *Vxor Romana in propter nuptias donatione de alimentis secura tantum, et validissimis argumentis proposito singulari libello de hypobolo, inter XI. eius opuscula iunctim edita nunc conspicuo, iterum demonstrauit IOH. GODOFREDVS SAMMETVS, iureconsultus doctissimus.*

III. Antiquarum autem Germanicarum legum formularumque consensione certum ac manifestum fit, diu durauisse in populo nostro veterem morem dotem vxoribus sine villa pensatione munerum muliebrium affreendi. Obseruant viri docti, dotis vocabulum esse πολύσημον, nec tantum eam, quam maritus vxori constituat, et sequior aetas primum in Gallia, deinde etiam in Germania *doarium, dotalitium, vidualitium* appellavit, atque hanc, quae Romano iure ab vxore infertur, sed Morgengabam quoque, ceu ex Cangio SORBERVS obseruat. et quaeſtion. selectar. forens. fasc. I. obs. V. notauit, non raro in pactorum formulis dotem vocari. Nostro quidem instituto magis conuenit, praeter matutina munera nosse aliam dotem ex lege vel moribus, aliam ex pacto mulieres a maritis accepisse. Sollicite hanc differentiam GVNDLINGIVS I. I. constituit, solutumque iuxta Saxonum, (cap. XXXIII.) Visigothorum (lib. III. tit. IIII.) Langobardorum, (lib. I. cap. 5.) aliarumque nationum leges parentibus pro pueris

ella

ella pretium accommodate ad legum istarum sensum,  
 cum quibus etiam leges Burgundionum, ( cap. XXIII.)  
 Alemannorum ( cap. LV.) Baiuvariorum ( tit. XIII.  
 cap. VI. et VII.) et Ripuariorum ( cap. XXXVII.) con-  
 spirant, verbo ab Alemannis et Baiuariis usurpato do-  
 tem legitimam, vtpote quam mulier per legem vel ex  
 moribus habeat; sed vsufructuariam portionem, quam  
 vidua de bonis mariti consecuta sit, eaque ad secun-  
 das nuptias transeunte filii ex eo coniugio nati inter re-  
 liquas res paternas secundum adductam Baiuvariorum  
 legem vindicauerint, illum, inquam, vsumfructum, qui  
 et Langobardorum iure, moriente vidua, integer ad ma-  
 riti heredes reuertebatur, paetitiam siue conuentiona-  
 lem dotem appellat. Sed et hanc paetitiam dotem,  
 siue quod eam cum legitima commiseré voluit, siue  
 quod Morgengabae mentio non nunquam in paetis nu-  
 ptialibus dotis nomine venit, duplicitis iterum generis  
 esse KOPPIVS I. c. §. V. animaduertit. Modo enim  
 plenum ius rei in dotem datae, modo vsumfructum  
 tantum mulieres accepisse. Istius quidem generis ex-  
 emplum apparere in FORMVL. ANDEGAVENS.  
 XXXIII. qua fiat sponsae potestas de dote faciendi,  
 quod voluerit: alterum vero genus vtique frequentissi-  
 mum in plerisque legibus atque tabulis obuenire. Ve-  
 lim, obseruasset vir doctus, quod in antiquis passim legi-  
 bus methae statuitur pretium, conuentione minui potu-  
 se, adeoque summae dotis lege definitam tum demum,



cum nihil de ea re pactum esset, a propinquis vxorum vel ab ipsis mulieribus peti. Sic Andegauensem formulam de dote legitima explicatam videres. Nam profecto inter nobiles atque ingenuos laetioris fortunae perraro euenisse videtur, ut nihil de dote ex moribus debita conueniret. Igitur ut interdum liberaliores maritos nullius rei dotalis vsumfructum, sed integrae dotis proprietatem in vxores transstulisse non nego, sic antiquissimam populorum Germanicorum, Visigothorum, Alemannorum, Baiuvariorum, Langobardorum, Saxonum, caeterorum, quibus iidem mores et iura placuerunt, hanc disciplinam fuisse arbitror, ut in perpetuo vitae militaris periculo, cum aut ipsi inferrent bella, aut propulsarent, aliquam bonorum suorum partem vxoribus ante nuptias redderent propriam, atque in plenissimam earum securitatem in parentum vel propinquorum tutela collocarent; (vnde mundii nomen ductum esse in lege Langobardica regis Rotharidis lib. I. cap. V. *si quis pro muliere libera aut puella mundium dederit: qua de re v. GRVPE N. Vxor Theodisca p. 33:* vnde etiam Romanos, ante nuptias donationem a barbaris, fortea Gallis edocetos, inanem suam formulam de securitate dotis per eam donationem obtinenda didicisse coniicio;) mulieribus autem nondum exsoluta propinquis dote nubentibus, cum nihil singulare de ea re conuenisset, post maritorum mortem tantae partis, quantam lex assignasset, vindicatio petitioque daretur. Haec statutariae.

tutariae portionis, quam hodieque capiunt viduae Germanorum, origo est, videnturque antiquae leges, quae pro illa prisca paupertate sat grande peculum vxoribus assignarent, veluti lex Saxonica pronubum trecentos solidos iubet mulieris parentibus dare, (cap. XXXVIII.) partim viros de dotali pacto commonefacere, partim peregrinos a connubiis suis arcere voluisse. Quae cum ita sint, ipsa legitimae partis viduarum origo redarguit opinionem eorum, qui illas partem hereditatis Romano verbi sensu capere autemant, easdemque alienis a Germanico iure rationibus sic iuris aacrescendi participes et creditoribus mariti obnoxias reddunt.

V. Caeterum apud me nondum constitui, vtrum ea fructuaria portio, cuius toties mentionem faciunt leges nostrae antiquae, veluti **LEX LANGOBARDORVM** lib. II. tit. III. §. III. **LEX BAIUVARIORVM** tit. XIV. cap. VI. **LEX BVRGVNDIONVM** cap. LXII. semper et vbiuis pacitiae dotis nomen tueri potuerit. Videntur diuersarum nationum leges in ea re non confensisse, et secundum alias ipsa munera, quibus vxor coëmpta esset, in fructu magis mulieris, maxime cum filios genuisset, aut ad secunda vota progrederetur, quam perpetuo et stabili iure ipsi propria esse; aliae autem, ceu memora ta Boiorum lex, tantae partis paternorum bonorum, quantam vnuquisque ex filiis caperet, matri ad vten dum fruendum assignauisse. Quamobrem non male vsumfructum quoque mulieris, in primis quae marito

rito defuncto neque secundas nuptias faceret, neque ad  
 parentes reuerteretur, antiquissimo iure legitimum ap-  
 pellaueris, cuius tamen modum statuere coniuges inita  
 singulari conuentione et potuerint, et saepissime soliti  
 sint. Hodieque vſusfructus bonorum mariti viduae  
 passim a lege debetur. cf. HEINECCIVS de *vſusfructu*  
*iuris Germanici imprimis Hamburgensis*. Verum apud  
 Langobardos nihil coniuges vſusfructus nomine ex vi-  
 rorum defunctum bonis ceperunt, nisi quae liberali  
 iudicio, nullo iure cogente, ipsi viri ad eas venire vo-  
 luisserent. Sunt qui eo in populo primum omnium  
 Aistulphum lib. II. tit. IV. §. IV. ed. Lindenbrog. viris  
 eiuscemodi dispositionis potestatam fecisse, eoque edi-  
 cto legem Luitprandi: *nulli sit licentia coniugi suae de*  
*rebus suis dare amplius per qualemque ingenium, nisi*  
*quod ei in die votorum in mehio et morgengab dederit se-*  
*cundum anterius editum, et quod supra dederit, non sit*  
*stabile*: lib. II. tit. IV. §. III. correxisle censeant. No-  
 bis, qui pro instituti ratione ostendere debebamus, vnde  
 vetustissimi Germani onera matrimonii sustentauerint,  
 vnde dos et viduua maritarum profecta; nam in his  
 antiquitatibus hodierna viduarum iura inuestiganda esse  
 recte monet STRVBEN. de *vſu et abuſu veteris iuris*  
*Germanici*, Hor. subsec. P. V. p. 49. mihi que haeret et  
 menti haerebit perpetuo Senkenbergiana sententia, cun-  
 ctorum omnino iurum, quibus utimur, rationes ex  
 antiquissimis nostris legibus nunquam vel abrogatis, vel  
 peni-

penitus desuetudine abolitis arcessi debere; ad id, quod  
 demonstrare cupimus, efficiendum satis est caussam  
 vtriusque dotis tum eius, quae heredes mulieris, etiam  
 si ad secundas nuptias transeuntis: non relictis ex priori  
 matrimonio filiis, **BVRGVNDIONVM IVRE** (cap.  
 XXIII.) dimidia, plerarumque nationum, ut **VISI-**  
**GOTHORVM** lib. III. tit. I. §. V. **ALEMANNORVM**  
 cap. LV. **BAIVVARIORVM** tit. XIV. cap. VI. integra  
 sequeretur, tum alterius, vsusfructus nomine capienda  
 adeoque morte fructuariae ad mariti heredes reuersae,  
 donorumque matutinorum, nempe praeter metas ma-  
 ne post nuptias nouae coniugi ferendorum, in quibus  
 hodie fere idem ius custoditur, non tanta vxorum pa-  
 trimonia, neque remunerationem dotis a muliere vel  
 parentibus eius allatae, sed cupiditatem demerendae  
 vxoris, sed solam virorum liberalitatem, amore dilectae  
 virginis prouocatam, necessitatemque vitae tutelaque  
 eius dignis atque honestis subsidiis ultra matrimonii  
 tempora prospiciendi, vel lege moribusque impositam,  
 in vetere Germania reperisse ac cognouisse. Quan-  
 quam enim peculii sui usum, quin arma, vestes, mo-  
 nilia, et quicquid mundi ac ornamentorum nomine ea  
 actas complectebatur, mulieres non inuidebant maritis,  
 quantum tamen id peculum fuerit, quod de domo  
 parentum adduceretur, ipsa vox *Phaderfi* prodit, qua  
 in **LL. LANGOBARD.** lib. II. tit. I. §. III. rex Rotharis  
 omnem eam substantiam nuncupat: caetera, si arma

C

excī-



excipias, at illa profecto dotium loco nunquam ponenda, sed quibus in bellorum periculorumque societatem intrepide se venire generosa mulier significaret, ab auctoriis recte iocalia appellantur. Neque obliuisci debemus, quod ex laudatis legibus liquet, adductas a parentibus pecudes in vxoris heredumque eius domino permansisse, ideoque non secus, atque omnem eum ornamentorum ipsarum que rerum utensilium, quarum usus magis necessarius erat, apparatum, ceu de peculio Gallorum VLPIANVS obseruat. cap. VIII. §. III. de Iure dotium non dotis, sed paraphernorum loco habendas. Qua de re videatur omnino GRVPE NVS Vxor. Theodisc. cap. III.

VI. Sensim Germani auctis diuitiis et crescente cum opibus avaritia a prisco more vxores, non pecunias eligendi declinauerunt. Evidem nondum in eam opinionem adductus sum, quam in Daniele, historiarum Gallicarum scriptore, (tom. I. p. 156) probauit GVNDLINGIVS l. l. cap. II. §. XIII. ut, quae sine dote venissent, Caroli M. aliorumque Carolidarum regum et imperatorum socias hac sola de caufa dignitate vxorum non honoratas, sed in matrimonio inaequali habitas esse mihi persuadeam. Immo vero ex dote mariti, non mulieris, vxorum et concubinarum discrimina aestimare oportet. Quae matutinis donis contentae essent, lege Morganatica ductae voto que imparis matrimonii in torum genialem allectae iudicabantur. Quanquam facile

facile ad credendum inducor, non nobilissimam quamque et locupletissimam virginem, sed egentiores ferre dignitateque inferiores mulieres in hanc conditionem consensisse. Neque singularia paetia horum matrimoniorum, praesertim liberorum causa, a iusta patris hereditate, dum sui et legitimi superstites essent, remouendorum, sollicite excogitata conuentaque esse ignoror. Scilicet his maxime legibus dotis que in primis renunciatione iustis vxoribus a maritis afferenda concubinatus stetit. v. B. AYRER. de iure connubiorum apud veteres Germanos. Circa tempora tamen Pipini et Caroli M. donationes vxorum, quae tandem dotis nomen promeruerunt, sensim apud Francos inualuisse, serius ad caeteros Germaniae populos, qui ab occidentalis Franciae finibus et commerciis remotiores essent, peruenisse, idoneorum monimentorum fide atque auctoritate statuitur. Extant MARCVLPHI formulae XLVIII. aliaeque sequentes apud BIGNONIVM de reciprocis inter viros et vxores donationibus villarum, mansorum, terrarum, domuum, vrensilium caeterarumque rerum conceptae. Et sine dubio Franci non tam veteres Gallos, in quibus vestigia moris reciprocandrum dotium deprehendit LUDOVICVS de dote mariti, tametsi nos quoque testimonio CAESARIS B. G. lib. VI. cap. XVIII. fidem habemus, sed Gallorum viatores a Francis debellatos Romanos secuti esse videantur. Nam illorum dotes, in vnum quasi nuptiale peculium con-

—

flatae, tum rationum, tum fructuum ab initio inde matrimonii coaceruandorum caussa non nihil dissimilitudinis habent: horum autem iura nouimus sub Francorum quoque imperio custodita, nec tantum inter Romanos retenta, sed sensim ac pedetentim in dominorum quoque Francorum familias moresque non minori felicitate, quam qua in Visigothicas domos plurimas penetrauerant, recepta, denique in fora et curias ob rerum priuatum paclarum auctoritatem propagata fuisse. Quod in Gothis haud infrequenter accidisse nouimus, ut in una domo diuersis legibus viueretur, facta cuique elegendi iuris, quo viuere vellet, licentia, ecquis dubitet nuptialibus maxime pactis effectum esse? Visigothorum quidem legis de dote Germanica, quam *puellae traditam* ipsorum etiam iure lib. III. tit. I. cap. VI. *pater exigendi vel conseruandi ipsi puellae potestatem* haberet, mentionem fecimus. Illius dotis modum statuerunt, vltra quem a sponso vel sponsi parentibus nequicquam petere liceat. Sed accipite, quaeſo, quam lex V. lib. III. tit. I. exceptionem subiunxerit: nisi *forte, iuxta quod ex* (sic recte) *LUDOVICVS I.* I. ex cod. suo membranaceo reponuit loco vulgaris et *legibus Romanis* recolimus *fuisse* *decretum, tantum puella vel mulier de suis rebus sponso dare elegerit, quantum sibi ipsa dari proponcerit.* Videtis; etenim non de Romanis, cum quibus lib. I. tit. I. cap. I. Gothis etiam connubii ius datum; sed de Gothicis mulieribus sermo est; videtis igitur non defuisse seminarum Visigothica-

rum

rum exempla, malentium dotes maritis more Romanarum afferre, quam locupletioribus, nec minus elegantibus, ciuibus Romanis, connubii iure communicato, postponi. Quae ratio quemadmodum etiam in Francis et Langobardis, atque in omni Germanico populo, qui Italiam ac prouincias imperio Romano subtractas incoleret, apud virginum animos desiderio nuptiarum incalcentes haud difficile valuisse parentesque amatas puellas in nobili matrimonio collocaturos ad liberalitatem maioribus suis insolitam commouisse videtur: iuncta Clericorum studia omnibus, quibus poscent, modis vsum Romani iuris commendantium, cum ex praescripto  
**C A P I T U L A R.** lib. VII. §. 179 prius in connubiis conueniendus esset sacerdos, in cuius parochia nuptiae fieri deberent, et, si licita et honesta omnia inuenisset, tunc per consilium et benedictionem eius virgo sponsari et legitime dotari deberet, quis tam optatum fortunatumque, nec scio, an felicem rebus priuatis et publicis exitum habuisse miretur? Verbo: quae initia, quos successus habuit Romani et Germanici iuris inter Teutonicæ originis populos facta coniunctio, eosdem etiam doctrinae de reciprocandis mariti et vxoris dotibus, unde exiit tandem hodierna dotalitii forma, et ortus et progressus animaduertas. Late ea, ut principio se ventionum moribus, mox deinde hos sibi, inualescente Decretilarum et Legistarum autoritate, accommodauisset, Gallias, Angliam, Scotiam, Hispanias atque Italiam et



pleraque cultioris Europae regna peruagata est. In Germaniam autem ita penitus penetrauit, vt prope cum ipso imperio Romano regiam inter nos sedem collocuisse videri posset.

*rusian VII.* Nam vt vnice tandem id, quod in patria factum sit, videamus, Saxones quidem imperatores Ottone M. et Henricum Sanctum dotes ab vxoribus accepisse non legimus, sed Lotharii regis Italiæ tabulas nuptiales, in quibus Adelheidae Ottonis M. vxori secundae varia cum plenissimo dominio sint concessa et tradita ipsumque libellum dotis sub matrimonii noui auspicia ab Ottone exaratum atque a *FREHERO in originibus Palatinis* exhibitum *l.c. cap. II. §. XVIII.* iam excitauit *GVNDLINGIVS.* Henrico autem, quem Sanctum vocant, Babenbergensem ecclesiam, quiaipse liberis carebat, faciente omnium bonorum heredem *Theodoricus Metensum Episcopus*, teste *SIGEBERTO GEMBLAGENSI* ad an. *CIDHII.* dolens dotem et patrimonium sororis sua *Chunigundis* *Imperatoris delegari ab Imperatore Babenbergensi ecclesiae, rebellauit.* Mox vero eodem seculo XI. nondum vergente diuitum vxorum in Germaniam adductarum exempla laudantur. Quae studiosius colligere, quam ab aliis factum videmus, dum in praesenti nec libet, nec licet, notemus tantum apud *KOPPIVM I. I. §. VII.* antiquissima ex principum Germanorum historiis ab eo allata peregrinarum esse mulierum, sensim cum ipsis opibus prisci moris mutationem afferentium. Etenim quam *Gulielmus Thurin-*

Thuringiae Marchio, teste LAMBERTO SCHAFNABVR-  
GENSI ad an. CIO LXII. paullo ante mortem *cum magna*  
*opum suarum ostentatione* adducere parauit, deinde Vdal-  
ricus Carentinorum Marchio in matrimonio habuit, Hun-  
gara fuit; coniux Henrici Leonis, *cum argento et auro et*  
*diuinitiis magnis* aduecta, quae principi ea re nimis con-  
fiso tantum non exitiosae fuerunt, regis Angliae filia;  
HELMOLD. Chron. Slavor. lib. II. cap. X. *paetum*, *ut*  
*quatuor millia marcarum cum filia persolueret librata*  
*pondere publico*, quod Carolus M. instituisset, cum Val-  
damaro Danorum rege apatre sponsi Friderico Ahenobar-  
bo initum, cuius etiam Valdemari vidua *cum multo*  
*thesauro et suppelleabile egressa de terra sua* in manum no-  
ui coniugis Ludouici Thuringi conuenit. ARNOL-  
DVS LVBECEENS. lib. III. cap. I. et XV. Tametsi  
apud Hungaros etiam Danosque et mistas cum Ve-  
nedis Gothicas Vandalicasque reliquias dotis a ma-  
ritis vxoribus afferendae olim viguit consuetudo, a  
Slavis in Teutonicas oras egressis non tantum ex Van-  
dalarum, Anglionum, Herulorum, Burgundionum  
institutis accepta, sed ex patro etiam et domestico  
ipsorum iure retenta. cf. HENR. NETTELBLAD. L c.  
seet. I. §. XI. et, quem ipse laudauit, IOH. SA-  
MVEL BERTHIVS *de connubiorum ritu sponsalitio* p.  
LVIII. Ipsi quidem Germanici principes haec tenus vete-  
rem morem diu retinuerunt, *ut exiguas in re lauta*  
familiari dotes etiam filiabus principum atque illustrium  
viro-

[decorative ornament]

virorum a parentibus constitutas eruditæ animaduerte-  
rint. Digna sunt lectu, quæ habet E S T O R. in *Opus.*  
*Teutonice editis* P. III. p. 736. et in libello; an dotalitium  
cesset propter secundas nuptias cap. III. §. II. Hodieque  
illustrißimarum gentium pacta filiarum dotibus modum  
pleraque satis tenuem posuerunt, et potentiores inpri-  
mis in nuptiis spes maiores, quam pecuniam praesen-  
tem respiciunt. Sed introducta tamen in magnatum  
et nobilium domos est consuetudo dotandi filias, ea-  
demque rusticos inter et oppidanos, et in oppidis qui-  
dem inde, ut videtur, a seculo XII. auctoritate legum  
Romanarum, opibus etiam per commercia affluentibus  
viget.

VIII. Quomodo vero rem nouam cum vetere iurecon-  
sulti conciliauerunt? In urbibus quidem tandemque et-  
iam inter rusticos fere sic, ut vix obscura vestigia pri-  
sci Germanici moris passim extent, et, ubi coniugum  
bona non omnino communia sunt, pars bonorum ma-  
riti lege vel moribus viduae superstiti, siue pleno, siue  
viusfructus iure debita, sola fere ex antiqua dote viro-  
rum supersit, sed dotis quidem nomen de ea vix audiatur.  
Quanquam enim non ambigitur, posse etiam oppida-  
nos et rusticos, ex quibus bonis licet, vxoribus do-  
talitia constituere: quod nouum vocabulum discernen-  
dae maritalis dotis a muliere quasi ex compromisso tan-  
dem receptum est, cum in veterissimis chartis dotali-  
tium, doarium, duarium, dotarium, viduum, vi-  
dualitium,

dualitum, eadem semper diuersorum nominum res, promiseus dos appelleatur: rario tamen eius usus est inter ciuici ordinis homines, nisi equestria forte prædia possidentes; inter rusticos autem pene nullus. Saepe adhuc inter ciues, velut in superioris Lusatiae ciuitatibus religione prisci iuris Saxonici, de Morgengabba, matutino munere, conuenitur. Dotes mulierum viri, donationes propter nuptias mulieres amant, quasi omnes ius ciuitatis Romanae ex antiquo Legistarum decreto se consecutas esse nouissent. Nobiles autem et principes, quibus non expedit promiscuam feminarum successionem in bona parentum admittere, aut per publicas etiam vel priuatas pœtiones non licet, cum generos magnis atque opimis dotibus, vnde omne matrimonii onus sustineretur, nec possent beare, nec vellet, neque etiam ipsi tam laitis pecuniosarum mulierum conditionibus vterentur, tametsi dotes vxorum non penitus aspernati in earum que etiam filiabus constituendarum, imperio consuetudinis, aliquam necessitatem adacti, nihil minus de vetere maritorum dote retinenda et vindicanda cogitauerunt. Quod iure consulti et formularii, barbarum hominum genus, peregrinarum legum sapientia gloriosum patriique moris ignorantissimum, ante aliquot secula ita interpretati sunt, ut dotem ab vxore afferri dicarent, eandemque aequali donatione propter nuptias maritum remunerari, sive de alimentis vxorum ex maritali hereditate ali-

D

quid



quid statutum reperissent, arbitrarentur. Sic factae sunt nobilibus viris officiae, postremoque, nisi aliud conuenisset, pro lege habitum est, quantum pecuniam mulier dotis nomine intulisset, tantundem ipsi vicissim tacita propter nuptias donatione tributum esse intelligi. Sed quoniam videbant boni iureconsulti, saeppe fructus tantum bonorum quorundam maritalium viduae superstite assignari, eos vero saepissime ultra modum ex lege foenebri (quis credit, nisi publice notares esset, etiam foenebres leges ad dotalitia Germanorum adducetas?) in usura fortis tenendum dari, excogitaverunt nouam rationem rei Romano et Canonico iuri conciliandae, nempe quod viderent dotem mulieris ad secundas nuptias transeuntis plerumque apud natos ex priori matrimonio remanere, interdum etiam morte ipsius ex singulari pacto ad legitimos viri heredes peruenire, dicentes et peregrini iuris auctoritate etiam imperantes, usuras dotis et donationis propter nuptias solito mutuarum pecuniarum foenore maiores ipsam mordere, et omnem obligationem morte mulieris peregrini atque extingui. At illa quidem insipida atque insuffla doctrina in regnantium principum domos et familias penitus penetrare non potuit, quanquam aliqua impressio- nis vestigia in earum etiam pactis tum nuptialibus, tum familiaribus deprehenduntur. Felicior conatus in ceteris. Enimuero in plerisque Germaniae regionibus possessores praediorum nobilium atque dynastiarum

nouo

nouo eo iure vtuntur, vt donationem propter nuptias  
 doti mulieris exaequasse, et de duplicatis vtriusque vsu-  
 ris pro dotalitio sortem perempturo soluendis, nisi in quib-  
 us terris viduam cum forte dimittendi facultas apud suc-  
 cessores mariti est, aut femina dotis repetitionem ele-  
 gerit, conuenisse fingantur. Qua de cauſa cauere so-  
 lent et per leges feudorum aut familiae etiam debent,  
 ne nimis grandem pecuniam dotis nomine recipiant,  
 quippe successoribus adeoque ipsis filiis suis ex paroe-  
 mia vulgari *Reiche Muetter, arme Kinder* exitio-  
 sam futuram; caeteris pro paraphernis, lege tranquilli-  
 tatem domus post mortem ipsorum non tam facile tur-  
 baturis vtuntur. Quemadmodum vero ipsa dotalitii  
 quantitas ad rationem dotis exacti admodum variat,  
 nec quadruplices vsurae, quae in Saxonia legitime sunt  
 et quas ducendi rationem MENKENIVS de *quantitate dota-*  
*litii praecipue in Saxonie* demonstrauit, in caeteris quoque  
 Germaniae regionibus vbiuis penduntur, sed ea tota-  
 res fere ex pactis et singularibus consuetudinibus aut  
 constitutionibus pendet: quare etiam in his terris inte-  
 grum est coniugibus, de minore, quam legitima dua-  
 ri summa inter se conuenire, quin absque eorum in-  
 iuria, quibus ipsis imperare non possunt, etiam de ma-  
 iore: sic mores quoque priuatorum et variarum regio-  
 num Germanicarum leges cum regula noui iuris ceu iure  
 consultorum carmine: *Leibgut schwindet das Hauptgut,*  
 id est, datalitium dotem donationemque propter nuptias

D 2

abfor-

[decorative flourish]

absorbet, non vbique conspirant. v. HERTIVS  
*Opusc.* Vol. II. tom. III. lib. II. Par. XXII. Quin REPKO-  
 VII nostratis praecepto: *Man soll ihr auch wieder auf-  
 lassen und geben, was sie zu ihrem Mann gebracht,* I. P.  
 S. lib. III. art. LXXIII. ea paroemia manifeste repug-  
 nat. Contra eam statuit *Ius equestre Bremense* tit. VII.  
 et aduersus eandem in Brunsuicensi iudicio pronuncia-  
 tum esse refert LEYSER. in app. diff. de Feudis Brun-  
 suicens. §. XXVIII., atque hodierni fere omnes iure-  
 consulti eam opinionem tuentur, contradicente mulie-  
 re consuetudinem absorbendae praestito vidualitio  
 dotis, in quibus regionibus nihil de ea re publice con-  
 stitum sit, ab heredibus mariti probari debere. v. BER-  
 GERI *Selecta Iuris dotalitii capita* §. XXXX. Ne di-  
 cam, laudatum NETTELBLADIVM l. c. sect. III. §.  
 XXXVII. viduis una cum dotalitio vel statutariam  
 bonorum mariti partem vindicare anniti. Ex quibus  
 omnibus liquet, non eo vsque corruptos esse peregrini-  
 nis legibus patrios mores, vt penitus Germanicae dotis  
 sine villa vxoriae donationis captatione et lucro a mari-  
 tis constituendae obliiti essemus: adeoque in mentem  
 venit viris doctis, dotalitii et vidualitii discrimina face-  
 re, illoque verbo dotes maritorum ad reciprocationem  
 muliebrium datas vel promissas, at, quae non pacta  
 muliebri dote, aut illa etiam restituta darentur, vidu-  
 dia, vidualitia, vitalitia, appellare. Sed his verborum  
 differentiis monumenta medii aei repugnant.

Caeterum

VIII. Caeterum vtrum gratis, an in dotis muliebris pensionem maritus dotalitium constituerit, vt de successorum obligatione praestandi cius promissi iudicare queamus, non perinde est. Ne autem quidem bona nexu clientelari soluta, nisi coheredum consensu, libere a viro vxori in dotem dari posse, auctor *Iur. prouinc. Alemannici* monet cap. XXXI. Multo autem maiores difficultates longeque plures cautiones habet doario- rum constitutio in feudis. Verissime REPKOVIVS scripsit: *in proprietatibus vera donatio, seu vitae prouisio fit mulieri, et non in feudo, quia in proprietate nemo illam ad vitam ipsarum infringere potest; in feudo vero eam multis modis vitiari contingit:* I. P. S. lib. III. art. LXXV. atque in iustis rationibus ostenderunt SCHILTERVS ad *Ius Feud. Alemannicum* cap. LXIV. KOPPIVS loco supra laudato et SENKENBER- GIVS Select. *Iuris et historig.* tom. III. p. 533. ad ius do- talitii in feudo habendum domini consensionem requiri. Scilicet ipsorum feudorum apud clientes proprietas non est, sed mere ususfructus iuris Germanici, quem do- minium utile vocant. Hunc cum vassalli olim precario, deinde sine iure transmittendi in liberos dominorum liberalitati acceptum referrent, qui potuisse eos ius suum cum morte sua ad dominos redditum a mortis tem- pote in viduas suas vxores transferre existimes? Ex quo autem hereditaria facta sunt feuda, nouimus eorum alienationem omnino prohiberi, nisi speciali lege vel

D 3

con-



consuetudine curiae aut provinciae concessam. Solet quidem datio feudi pro dotalitio e numero illicitarum alienationum eximi, propter ea, quod, qui det, ideo feudum a domino recognoscere non desistat, nec mulieri plus iuris in feudo concedat, quam aut ipse habeat, aut successores voluntati eius obnoxii sint habituri. Quod etiam per subinfeudationem fieri posse non ambigitur, quanquam olim illustres viduae non raro ab ipsis dominis maritorum de integris praefecturis pro dotalitio inuestiri solebant, talium que feudorum innumera fere exempla commemorantur, (vid. MÜLLERI *Staatscabinet* P. II. cap. II.) hodie vero ethoc et illud constituendi dotalitii genus fere ab vsu recessit, neque viduis, nisi ius vtendi et fruendi aliquanto tamen melius, quam ex lege Romana, conceditur. cf. E. M. CHLADENII disp. *Ius viduae doariae an merus sit vesusfructus*. Sed si quid veri ac firmi iuris in feudo consequi velit doaria, natura feudorum non patitur, ut sine domini atque agnatorum vel coiuictitorum consensu illud nancisci possit, adeoque irrita iure communi erit mariti atque vxoris pactio de redditibus feudi pro dotalitio habendis, simul feudum ad agnatum aut dominum, qui non consenserit, deuoluatur aut redeat. Irrita, inquam, erit ista conuentio ratione domini agnatorumque; nam et horum consensum prorsus necessarium esse, KOPPIVS docet ac SENKENBERGIVS; neque adeo feudum hypothecae supponet, nec retentionem mulieri faciet, neque dota-

—

dotalitius vsus fructus contra extraneos possessores defendi poterit, quanquam mariti heredes voluntati eius obsequi debent. Quod etsi eruditiorum hominum nemo hodie facile negat, passim tamen alio iure vtuntur viduae vassallorum, et dotalitii ex feudo petendi, velut in hac nostra Saxonia, sola dotis muliebris illatione ac versione in feudum, quae quidem facta esse praesumitur, non requisito domini agnatorumque aut coineslitorum consensu consequuntur.

X. Quippe ab hac ipsa versione dotis in feudum aiunt dotalitii exinde praestandi necessitatem oriri, et **F R I D E R I C I I I.** constitutione Neapolitanis et Siculis data lib. III. tit. XV. tandem in morem iuisse. Igitur indotatae vxori in allodio quidem dotalitium posse constitui, at ex bonis priuatorum feudalibus nunquam illi deberi, omnes doctores, quotquot et mihi et **H E N R . N E T T E L B L A D I O** (vid. *libr. laud. Sect. II. §. XXVI I.*) euoluere licuit, acriter defendant. Qui curatius rem definiunt, inter quos **G E . L V D O V I C V S B O E H M E R V S** est, vir iuris feudalnis peritia excellens, *Princ. iur. feud. lib. I. Sect. II. cap. XI. p. 325. et 332.* indotatas quidem priuatorum hominum coniuges ad vidualitii ex feudo petitionem admittunt, si feudum mere hereditarium sit, aut si in beneficio non mere hereditario mariti id constituerint, quorum heredes feudum possideant, praeter ea si ii, ad quos beneficium peruererit, constitutionem eius suo assensu probauerint,  
denique

denique si paeta familiae adsint, quibus hi, qui sunt de  
familia, ad illud vel praestandum, vel constituendum  
obstringantur. Nemo erit, opinor, qui in his omni-  
bus exemplis non oppido dotalitii ex feudo praestandi  
necessitatem agnoscat, quanquam forte omnium pri-  
mus BOEHMERVS inter elementorum iuris feudal-  
scriptores eas formas tam distincte commemorauit.  
Verum ego quidem in hac largitione non acquiesco,  
laetor que mecum fere consentientem videre NETTEL-  
BLADIVM. c. Videor mihi hodierni iuris necessitatem in-  
telligere, quae dominum atque agnatos ad viduae indota-  
tae dotarium concedendum interdum obstringat. Quis-  
quis dotalitii originem indolemque perspexerit, cuius  
hoc libello memores feci meos lectors, is cum NET-  
TELBLADIO statuet, verum et proprium dotaliti-  
tum hodienum esse, non quod ad muliebrem dotem  
se referat, sed quod domini atque agnatorum consen-  
sione in beneficio constitutum sit; illud vero prius irregu-  
lare, impro prium atque extraordinarium esse. Quan-  
ta, quae so, chartarum farrago, quanta copia exemplo-  
rum publice innotuit, quibus ea sententia confirma-  
tur! Vana est eorum opinio, quibus FRIDERICI II.  
constitutio in regno Neapolitano et Siciliae promulga-  
ta mutationem prisci moris in Germaniam attulisse vi-  
detur. Immo vero hoc vnum curiarum quarundam feu-  
dalium benignitate ac liberalitate accidit, vt dotis illa-  
rae ratio in constituendo dotalitio habeatur, tametsi

con-

consensum domini agnatorumque maritus viuus non  
 impetraverit. Citra hanc talem liberalitatem ac con-  
 suetudinem secundum iustum iuris feudalis Langobardi-  
 ci regulam II. Feud. VIII. §. II. ex caussa huius Roma-  
 nae siue vxoriae dotis *post mortem viri ad mulierem nihil*  
*pertinet.* Sed idem beneficium viduis etiam indotatis  
 singulari dominorum gratia saepe tributum esse mihi  
 persuadeo. Res, nisi me omnia fallunt, processit hoc  
 ordine. Initio vassallorum ac ministerialium nuptiae, ut  
 hodie eorum, qui sub centurionibus militant, non debue-  
 runt sine dominorum consensu iniri. Inde celebratis  
 sum illud maritagium, de quo CRAGIVS in *Iure Feudo-*  
*rum lib: I. tit. XXXI. et GRVPENIVS Vxor. Theodisc. cap.*  
 I. tradiderunt, et quod in Gallia, Scotia atque Anglia  
 reges et barones diu retinuerunt. Eo consensu ob-  
 onus alendi ac tuendi vasallorum ministerialiumqne vi-  
 duas atque liberos, dominis saepe impositum, opus fuit.  
 Introducta filiorum agnatorumque successione in feu-  
 dis, cum tandem ministeriales etiam idem ius conse-  
 cuti essent, clientes plenam matrimonii libertatem pro-  
 pter ea, quod viduis earum et liberis sine dominorum  
 dispendio prospici posset, sensim ac pedetentim sunt  
 consecuti. Sicut vero ea aetate, qua maritationis ius du-  
 rabat, ducendae vxoris facultas haud difficile impetraba-  
 tur, dum cliens pretium nuptiale, vnde vidua olim  
 mulier ali posset, (sic enim maritagi censum interpre-  
 tor) in domini tutela deponeret, aut filiam conuasalli

E

in



in matrimonium peteret, cuius tuenda atque elocandae post mortem parentis cura plerumque ad dominum pertinebat, sic utilitatis publicae atque ipsa feudalis disciplinae ratio postulauit, ut maritagio tandem remitto, in feudis quoque ex pacto et prouidentia maiorum ad solam acquirentis masculam progeniem peruenturis, nisi propria vassallus eademque alenda mulieris suffectura bona haberet, constitutio dotalitii permittetur, agnatique sine idoneis rationibus contranitentes ad impertiendum consensum a domino cogi possent. Faciles in primis dominos inuenisse, qui conuasalli filiam ducerent, ex legibus etiam singularium curiarum clientelaribus intelligitur. En Teclenburgicam a L V D O V I C O Reliquiar. tom. II. n. LXXVII. p. 303, exhibitam: *Da zwey aus den Lehnbleuten zur Ehe schreiten, und die erste Nacht beygelegen sind, so ist die Leibzucht aller des Mannes Güter der Frauen, als wenn sie dieselbe von dem Grafen zu Leben empfangen.* Inde est, quod extra Germaniam lex ipsa passim et consuetudo viduis vsumfrustum feudorum mariti pro dotalitio tribuit Quod de Gelriae et Brabantiae feudis SANDIVS, de Anglicanis COVELLVS Inst. Iur. Anglican. lib. I. tit. X. tradit. Principibus in Germania feminis, licet nullum marito dotem attulerint, vidualitum constitui, omnes consentiunt. cf. MYLER AB EHRENBACH Gamolog. person. illustr. cap. X. LVDOLPHVS de iuribus feminar. illustr. Sect. II. membr. II. §. V. VVOLFIUS Elem. Iur. feudal cap.

XV.

XV. §. XIV. BOEHMER. *Princip. Iur. feud.* §. CCCCCXXXII. Praesto sunt leges publicae, quibus etiam ipsi principes ad vassallorum suorum preces dotalitii in feudis constitutionem se ratam habituros esse spondeant, nec forte vnum exemplum haud impertiae confessionis, dum maritorum de feudo adeoque de re domini liberalitas modum Germanicae dotis non excederit, nec quis aliunde prouidere potuerit suae vxori, e tabulariis proferetur. Quod de doario ex dote mulieris et donatione propter nuptias oriundo traditur, id partim veritati repugnat, partim eo pertinet, ut quarundam regionum singulari iure tum dotalitii quantitas inde existimetur, tum versio vxoriae dotis in feudum, tametsi a viro propriis bonis non destituto facta, confessionem tamen in feudi obligationem pro dotalitio necessariam reddat. His omnibus probe consideratis quis dubitet, non ex aequitatis modo et benignitatis, sed ex virginibus quoque iuris Germanici rationibus vassallo indentatae vxoris vidualitum ob aliorum bonorum egestatem in feudalibus constituturo domini atque agnatorum consensum denegari vix posse, sed penes dominum esse, quem eius dotalitii modum pro dignitate mariti et magnitudine beneficii velit statuere? Inde est, quod teste FLEISCHERO *Inst. iur. feud.* cap. XX. §. XII. *adhibito domini atque agnatorum consensu, et dote legitime constituta, non amplius quaeritur, utrum dos et quanta fuerit illata.* Ex quo de vsu forensi iudicare licebit,



OO A 6448

ULB Halle  
002 928 140

3





B.I.G.

Black

Farbkarte #13



23

DE ALIMENTIS  
VIDVAE INDOTATAE  
EX FEVDO DEBITIS  
ILL. ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE  
P R A E S I D E  
D. IOHANNE THEOPHILO SEGERO  
EIVSDEM ORDINIS ET SUPREMAE IN PROVINCIA  
CVRIAEC ASSESSORE ATQVE ANTECESSORE  
PRID. CAL. OCTOBR. AN. CICIG CCLXXIIII  
H. L. Q. C  
DISPV TABIT  
CAROLVS HENRICVS SCHVVABE  
NOSENNA MISNICVS

LIPSIAE  
EX OFFICINA LANGENHEMIA

23. 4. G. M. Wolf.